


Spiritui religionis christianæ, naturali humanitatis instinctui atque conceptui administrationis divinæ omnia et singula adæquate complectentis e diametro adversatur; ac ultimum, quod alias vel miserrimo cuicumque patet, ad supremi Numinis Misericordiam confugiendi solatium nobis mortalibus indignissime subducit.



§. III.

OFFICIA ERGA SEIPSUM.

XXXVII. Cuius in exequendis erga se ipsum officiis proficere volenti mox in ipso laboris huius exordio intonat græcæ Sapientiae vox: NOSCE TEIPSUM. Aliam autem sui notitiam Philosophia, aliam Theologia subpeditat.

XXXVIII. Ast quid iuvabit status sui cognitio, nisi in eo emendando gnaviter laboremus? excolendus itaque præcipua sedulitate *animus*, *corpus* etiam ac *res externa* cum iusta subordinatione curandæ.

XXXIX. Cultura mentis humanæ a facultate cognoscente inchoanda: cumque tota cognitionum supellex a sensualitate quam maxime dependeat, *ante fores animæ sollicite vigilan-*